

p-100

v. 2. 26.

367

ULB Düsseldorf



+9102 740 01

Herr. Benzenberg,
Past. Schöllerang
1807.

Δοκιμάσετε τα διαφε-
ροντα. Phil. 1, 10.

[Faint, illegible handwriting]

[Faint, illegible handwriting]

AUCTARIUM
CODICIS APOCRYPHI
N. T. FABRICIANI,

continens

piura inedita, alla ad fidem codd. mss. emen-
datus expressa.

Congessit, disposuit, edidit

ANDREAS BIRCH,

*S. S. Theologiae Doctor et Professor, Episcopus insula-
rum Laalandiae et Falstriae.*

Fasciculus primus.

HAVNIÆ, 1804.

Apud Arntzen et Hartier.

Excuderunt N. Möller & Filius, Aulae Regiae
et Universitatis typographi.



Lectoribus Editor!

Opus nec supervacuum nec doctis ingratum me suscepisse ratus sum, cum huic collectioni librorum, quos nomine apocryphorum N. T. insignire solent, promulgandæ studium et laborem impenderim. Si enim dandum est, quod plures viri, ut eruditione ita ingenii acumine conspicui, inter quos Doederlein, Gabler et J. E. C. Smidt nominare sufficiat, non sine causa arbitrati sunt, hæc scripta ad interpretationem librorum sacrorum N. F. non sine fructu adhiberi posse; quis dubitaverit utilitatem eorum eo magis redundare, quo emendatori textu uti concessum fuerit? Laudem omnino meruit J. A. Fabricius, cum sparsa hujus generis scripta in unum volumen collegerit, et pro mirabili, qua pollebat eruditionis copia, multa ad eorum cognitionem utilia adjecerit; sed deficiente puriores fontes acquirendi occasione, priorum editorum vestigiis institit, nisi quod interdum textum depravatam conjectura emendando operam accommodaverit. Quamquam non diffitebor Fabricium, qui ut eruditione ita judicio quoque valuit, plurima acute emendasse, tamen jure contenderim, ad textum recte constituendum codicibus Mss. opus esse, præprimis si librorum apocryphorum conditionem spectaveris, in quibus mutandis

librariorum licentia plurimum ausa est. His ductus
rationibus consilium cepi, scripta nonnulla apocrypha,
quæ mihi, cum viginti abhinc annis codices N. T. in
bibliothecis exterorum examinarem, obvenerint, dili-
gentius scrutari, atque si editionis honore dignos ju-
dicarem, cum eruditis communicare. Quod cum ab
amicis perceptum fuisset propositum, eadem felicitas,
quæ apparatus meum criticum ad N. T. textum auxit,
hac quoque occasione obtigit. Collationem codicis lati-
ni, Evangelium Nicodemi complectentis, una cum sylloge
observationum ad Protevangelium Jacobi, ex duobus
codd. Vaticanæ bibliothecæ congestis, nec non apogra-
phon libri inscripti περιοδοι Ιωαννου auctore Prochoro,
amice mihi obtulit vir doctissimus Engelbreth; cui ac-
cessit vir egregie doctus B. Thorlacius, copiam codicis
græci Evangelii Nicodemi, ut et alia minora scripta
apocrypha benigne mihi largiendo.

His instructus opibus editioni fidenter me accinxi.
Jamjam typis expressum erat Evangelium Nicodemi,
cum vir illustrissimus Thorkelin, ut multarum rerum
scientia, ita quoque linguæ anglo-saxonice cognitione
pollens, translationem latinam, quæ versionem anglo-
saxoniam Evangelii Nicodemi ad verbum redderet,
sponte nobis promisit. Eodem tempore vir celebra-
tissimus Silvestre de Sacy, cujus doctrina modo urba-
nitate vincitur, suppellectilem nostram ex thesauris
Bibliothecæ Parisiensis ditare velle, officiosissime est
polli-

pollicitus. Sic, ut mole ita quoque pretio crevit
adminiculorum ad opus perficiendum copia: spesque
fuit, si non meis, attamen virorum doctorum acces-
sionibus locupletatum luce publica non prorsus in-
dignum existimari,

Hæc dum parantur, clementia augustissimi Regis
munus Episcopi dioeceseos Laalandiæ et Falstriae mihi
delatum est: omnibus igitur, quæ a delegato officio avo-
care animum possent, renuntiandum esse fas et æquum
reputans, rivos clausi, satque habui, quæcumque pre-
lo jam expressa essent, cum brevi præfatione, qua mo-
do maxime necessaria indicarentur, publicare. Cæte-
ra, quæ huic volumini inserere animus fuit, in aliud
tempus reservantur. Hæc si Deus otia dabit, atque
hoc opusculum justis arbitris non displicere admadver-
terem, promulgare non omittam.

Ante vero, quam finem huic præfationi faciamus,
pauca adhuc monere non alienum ducimus. Si quis
stylum et dictionem librorum apocryphorum cum ele-
gantia scriptorum florentis Græciæ ætatis comparave-
rit, multa, quæ eum offendant deprehendat necesse est:
quinimmo non pauca observabit loca, ubi scriptores li-
brorum apocryphorum soloecismi incusandos esse cen-
sebit. Hæc vitia ne editoris vel socordiæ vel inscitia
tribuat, atque nostram linguæ græcæ cognitionem, te-
nuem fortasse et jejunam, justo tenuiorem judicet,
enixe

enixe petimus. Hunc observare velimus, conditionem scriptorum græcorum sequioris ævi longe aliam fuisse ac eorum, qui eo tempore, quo lingua græca viguit, scripta litteris consignarunt. Tota enim linguæ facies labente tempore ac gentis pristina gloria penitus mutata est; quæ mutatio eo usque serpsit, ut ab antiquioribus grammatices præceptis deflectere non dubitaverint posterioris ævi auctores. (Qui hæc penitus cognoscere cupiunt, adeant præfationem, quam glossario mediæ et infimæ græcitatæ præfixit du Cange, et Simonis Portii grammaticam linguæ græcæ vulgaris, præfationi subnexam.) Hæc depravata corrigere atque ad antiquam puritatem effingere, nobis non licere, quinimmo cum editoris fide pugnare arbitrati sumus. Equidem non inficiabor, nonnulla adhuc in hoc opusculo adesse vitia, quæ editoris curam fugerint; sed his veniam concesserint ii, qui ejusmodi scriptis aliquam operam impenderint; nam ubi in quavis linea, ne dicam verbo, omnia mendis scatent, et membra dictionis ita mixta et turbata, ut sensum sæpius frustra quæras, vix singula quisquam, intentissimam licet adhibeat curam, consequi poterit.

Dabam Roschildiæ, mense Aprili, 1804.

CON-

CONSPECTUS OPERIS.

- Prolegomena p. I - LXX.
1. Evangelium Nicodemi, græce et latine
cum variis lectionibus p. I - 158.
2. Relationes ad Tiberium de Jesu Christo,
Pilato tributæ 159 - 171.
3. Rescripta Tiberii ad Pilatum 172 - 175.
4. Παράδοσις Πιλάτου 176 - 180.
5. Narratio Josephi ab Arimathia de J. C.
apprehensione et morte 181 - 194.
6. Protevangelium Jacobi, græce, cum
var. lectionibus 195 - 242.
7. Apo-

CONSPECTUS.

7. Apocalypsis Pseudojohannea . . . p. 243-260.
8. Capita nonnulla ex Prochori *περιόδους*
ιωαννου, græce et latine . . . 261-307.

PROLE-



PROLEGOMENA.



STRECKENBACH

PROLEGOMENA.

§. I.

*De librorum apocryphorum N. T. origine,
indole et usu.*

Prima ecclesiæ christianæ ætate, quamplurima exstitisse scripta, quibus res cum ad Christi personam et dicta, tum ad religionis historiam spectantes, varie exponerentur, vel ex solo Evangelistæ Lucæ testimonio colligitur, qui Evangelium suum hoc potissimum consilio composuisse fatetur, ut justam et fide testium oculatorum innixam historiam Theophilo exhiberet. Hos commentarios exinde originem duxisse, quod multis religionis cultoribus curæ fuit, omnia, quæ doctrinam Christi et Apostolorum gesta attingerent, accuratius nosse, non est, quod dubitemus; sed cum nullum rerum haberent delectum, atque plura, quæ incertis auctoribus vulgo circumferebantur, litteris consignarent, evenit, ut falsa veris mixta, quinimmo multæ narrationes, neque religione neque religionis conditoribus factæ dignæ, his libris infererentur, quos tamen nihilo-

minus avide lectos, atque auctoritate quadam valuisse, ex primis rerum christianorum scriptoribus, satis abunde constat.

Procedente deinde tempore, quo latius religio Christi promulgaretur, atque inter ipsos christianorum coetus, parata majori tranquillitate, arctior copula obtineret, factum est, ut etiam magis inter eos conveniret, qui libri, congerie ceterorum exempti, pro veris fontibus haberentur. Quod celeberrimi ecclesiarum doctores efficere, summo studio allaboraverunt, salubri sane consilio, ut hoc modo concordiam doctrinae ad honorem religionis apprime necessariam constituerent. Cautum igitur fuit, ut publicis praelectionibus huiusmodi adhiberentur libri, quorum certa auctoritas constaret, et quos *οὗτοι κανονα της αληθειας* unanimis fere ecclesiarum consensus comprobaret: reliqua, quae manibus christianorum terebantur, scripta, quod privatis modo usibus infervirent, neque in altercationibus cum religionis adversariis, ad haec provocare licitum esset, nomine *των αποκριφων* signabantur.

Quod autem ad solam privatam lectionem his libris uti concessum fuerat, temporis successu effectum est, ut eos immutandi, nonnulla addendi, alia detrahendi occasio data sit, usquedum ita refecti et amplificati essent, ut, licet priori titulo inscriberentur, tamen ab originario textu valde deflecterent. Quo magis a
prima

prima doctrinae simplicitate degeneravit ecclesia, quo facilius anilibus fabulis aures præbuerunt christiani, eo plus sibi indulserunt horum librorum amplificatores. Inde evenit, ut idem liber, pro temporis et regionum diversitate, diversus reperiat: in aliis provinciis copiosior, in aliis brevior observetur.

Talem librorum apocryphorum conditionem et statum fuisse, cuilibet patebit, qui hos intentioni examine scrutandos sibi sumpserit. Si enim varias ejusdem libri apocryphi versiones percenseas, varias *endocæis*, seu recensiones indagare necesse est. Ut enim de aliis taceam, unum modo librum hoc volumine exhibitum, in exemplum proponam. Quantum distat textus latinus Evangelii Nicodemi a græco? Quæ inter versiones latinas, observatur differentia? Et si porro versiones anglo-saxonica et franco-gallica cum græco textu et latinis componentur, quis non mutationes, prava emendatorum licentia obortas, ubiqve agnoverit? In tanta autem recensio-
num diversitate, originarium quendam textum, qui quasi fundamenti loco omnibus subjiatur, non obscure cernere licebit.

His in universum de librorum apocryphorum origine et conditione propositis, quid ex iis petat Theologus, breviter differamus; libet enim propter quosdam imperitiores dubitationem de eorum utilitate eximere. Primo quidem asseverare ausim, histo-
riam

riam dogmatum non minus iuste ex his fontibus, quam ex ipsis patrum scriptis hauriri posse. Sic, ut res exemplo pateat, quis non perviderit, doctrinam de Christi ad inferos descensu, quamplurimum lucis ex Evangelio Nicodemi accipere? Vir doctissimus Gabler in diario theologico, *Journal für theologische Litteratur*, IV Bd. 4 Stück p. 426 sq. V Bd. 5 Stück p. 417, et alibi passim, plura de hoc dogmate, cujus in prima ecclesia summa fuit auctoritas, docte et acute, ut solet, proponit; equidem non dubitaverim, Nicodemum nostrum ad hanc quaestionem amplius excutiendam multa non inutiliter suppeditare. Quantum ad penitentiorem cognitionem linguae hellenisticae ἀποκρυφα conferre possint, doct. J. E. C. Smidt in *Bibl. für Critic und Exegese des N. T.* I Bd. I St. p. 130 sq. exemplis ex Protevangelio Jacobi adductis, luculenter demonstravit. Ipsorum quoque Evangelistarum de Christo historiam, alicubi ex his libris illustrari posse, certa mihi est persuasio. Non diffitebor, exactissimo iudicio in his adminiculis adhibendis opus esse, atque sequiorum temporum figmenta, ab iis, quae primarium textum effecisse statuendum est, diligenter segreganda: sed neminem recta via et methodo incedentem utilitas fugerit. Tutior est usus ad Crisin textus N. T., cujus rei deinceps, cum de textu graeco Evangelii Nicodemi ageretur, plura exempla proponere in animo est. —

Qvod

Quod tamen non sic accipi volo, quasi omnibus hujus generis libris idem pretium assignandum esse credam; multos enim vel nullius vel perexigui esse momenti lubens concedo.

§. 2.

De Evangelio Nicodemi et variis ejus editionibus.

Inter scripta N. T. apocrypha non ultimum sane locum sibi vindicat liber, qui sub titulo Evangelii Nicodemi seu Actorum Pilati circumfertur. Nam etsi hunc librum ab ipsa genuina relatione, quam procurator Judææ Pontius Pilatus de J. Christo ejusque factis et vitæ exitu Romam misit, plane differre nemo distinebitur; pluribus tamen coarguitur testimoniis, eum seculo post C. N. VI, multis Christianorum coetibus innotuisse atque ejus usum late patuisse. Gregorius Turonensis, auctor non ignobilis, qui seec. V et VI floruit, in historia Francorum, Libr. I. Capp. XX et XXIII, non modo ad hæc Pilati Acta provocat, sed et ea affert, ex quibus facile colligitur, hoc nostrum Evangelium ipsi cognitum fuisse. Exstant præterea versiones græcæ, latinæ, versio anglo-saxonica, franco-gallica et theotisca, maxima ex parte, quantum ex ipsorum indole judicare liceat, seec. VI haud juniores. Quæ cum ita inter se differant, ut non ex eodem textu, sed ex diver-

diversis recensioibus fluxisse existimandum sit, ex hac diversitate, meo quidem iudicio, non immerito concluditur, hujus libri lectionem non arctis limitibus circumscriptam fuisse.

Quamquam, ut in antecedentibus monuimus, nostri non est propositi, hoc loco de hujus Pseudo-Evangelii auctore, indole et scopo fusius tractare, sed commentarium plenius tum exhibituros, cum omnibus adminiculis ad justum iudicium ferendum necessariis, instructi erimus: tamen non abs re visum est, de libri editionibus, manuscriptis codd. et versionibus, nonnulla hic generatim differere, atque his expositis, descriptionem adminiculorum, quibus in hac nostra editione paranda usi sumus, lectoribus tradere.

Ut igitur ordinem nobis praescriptum servemus, sequitur hic enumeratio versionum omnium, quotquot ad nostram pervenere notitiam.

I. Versionis latine, vel si mavis, versionum latinarum, editiones typis vulgatae existant:

1. Lipsiensis, Anni 1516.
2. Antverpiensis, Anni 1538.
3. Grynæi, in Monumentis P. P. Orthodoxographis, 1569, Tom. II. p. 643 fq.
4. J. A. Fabricii, in Cod. Apocrypho N. T. Tom. I. p. 238 fq.

Quibus accedunt:

5. Codex

5. Codex Mss. Monasterii Einsidlenfis, a doct. Hefs in Bibliothek der heiligen Geschichte, Tom. I. p. 436 sq. exhibitus.
6. Codex Mss. in Bibliotheca Principis Corsini, sub No. 1146, Romæ servatus.

II. Versionis græcæ, seu versionum græcarum, nam et hæc inter se variant, innotuerunt Codd. sequentes:

1. Codex Parisiensis 770, antea Colbertinus 2493, a Viro doct. B. Thoplacio descriptus, quem hoc volumine expressimus. Hujus codicis mentionem facit Fabricius Tom. I. p. 230. 237. 239. atque du Cange in Glossario mediæ et infimæ Græcitatæ voce *πρεσποια* p. 1225 et alibi.
2. Codex Palatino-Vaticanus 269. fragmentum modo, nempe a Cap. XIX ad XXVII complectens, huic editioni inferus.
3. Codex, quem Meursius in Glossario Græco-Barbaro passim excitat titulo: Anonymi de Passione Domini. Hunc et a Parisiensi et Vaticano discrepare, monstrant allegationes Meursii, sub vocibus *κουρσορες, κομοδεσμος* et *κατ'ε* obviæ, quas hic adponere lubet. p. 282. *Κουρσορες* Anonymus in Passione Domini: *προσκαλεσαμενος ο Πιλατος τον κουρσορα, σελλει αυτον αγαγειν τον Ιησουν.*
Ubi

Ubi Parisiensis ita: και προσκαλεσαμενος ο Πιλατος τον κουρσορα, λεγει αυτω· μετα επιεικειας ακθητω ο Ιησους. p. 259. Κομοδρομος Anon. de P. Domini: και οτε φθασωσω εις τον τοπον, ελθων ο κομοδρομος, ας (ως) σ αυρωση αυτον. p. 232. Κατζειν Anonymus: ας προφθαζωσι οι μυροφοροι μετα σιγης και φοβου, βαπαζουσαι κατζειν και θυματα. Uterque locus in Parisiensi non occurrit, licet non subobsenre cernitur, hic respici ad ea, quæ in nostra editione pagg. 55 et 63 ex graeco referuntur.

4. Codex Mss. Monachii asservatus, No. 32. Hujus mentionem fecit Fabricius Cod. Apocr. Tom. I. p. 237, in notis, atque cum Colbertino geminum esse asserit. Quod an ita sese habeat vel contra, pro certo definire non ausim; sed cum spes mihi sit copiam hujus Mss. acquirere, iudicium certius tunc ferre concessum fuerit, cum hanc manibus volvere contigerit.

III. Versio anglo-saxonica, edita ab Edw. Twaites, Oxoniae, 1698. Cum hæc lingua plane obsoleta sit et paucis modo cognita, optandum foret latinam translationem adjectam fuisse. Hunc defectum supplere operam accommodat vir ornatissimus Thorkelin; sed cum hæc versio nondum mihi

mihî obvenerit, de ejus indole nunc tacendum erit.

IV. Versio franco-gallica, cujus ampliorem notitiam debemus viro cl. Brunn, qui in Disquisitione de indole Ev. Nicodemi, p. 14 sq. plura profert, ex quibus cognoscere licet, eam non inutiliter ad correctionem cæterarum versionum adhiberi posse.

V. Versio theotisca. Hæc, quantum ex Ittigio in Dissert. de P. P. Apostolicis §§. 15, 16 colligi possit, ex codice latino, diverso ab eo, quo Grynæus usus est, et probatiore quidem, confecta videtur.

Enumeratis fontibus, qui ad plenioram cognitionem Pseudo-Evangelii nostri facere possunt, tractatum eorum, qui a nobis in hac editione adhibentur, ingredimur.

§. 3.

De textu J. A. Fabricii, quem non ex Grynæo desumptum esse demonstratur.

De fontibus a Fabricio ad textum suum adorandum adhibitis, non satis certe constat, cum ipse hujus rei nullibi mentionem fecerit. Prioribus editionibus, Lipsiensi 1516 et Antverpiensi 1538, usum fuisse, nulla quidem mihi est dubitatio; sed quo modo? asseverare non ausim, cum eas inspicere

tere atque examinare non contigerit. Vir cl. Hefs in ea quidem est opinione (Bibl. der heil. Geschichte Tom. I. p. 436.) ut existimet, textum Fabricianum ex Grynæi Monumentis P. P. orth. desumptum esse; sed huic sententiæ accedere plura vetant. Cuilibet enim recensitionem Fabricianam attentius consideranti, statim in oculos incurrat necesse est, Fabricium non unam alteramve editionem presso pede secutum, sed sæpius textum depravatum, quem in editis invenerat, conjectura emendasse. Quod autem assertionem cl. Hefs maxime infringit, est illa, quæ inter textum Grynæi et Fabricii observatur dissonantia. Instituta nempe inter utrumque accurata collatione, alterum ab altero discrepare animadverti; quinimmo apud Grynæum ejusmodi occurrere varietates, quibus assensum Fabricius sane non denegasset neque silentio prætermisisset, si ipsi, cum suam editionem concinnaret, occasio obvenisset, Monumenta Orth. manibus versandi. Hæc quo clarius adpareant, varietatem lectionis in utraque editione obviam, hic adponere non inutile duxi, adhibitis ubique notulis a Fabricio textui suo subjunctis, ubi ad edita provocat. Aptius sane et lectorum commodo convenientius fuisset hæc suo loco in notis proposuisse; sed ingenue fateor, me, cum editionem meam prelo darem, auctoritate cl. Hessii adductum, hoc examen supervacuum reputasse. Quæ deinceps, Grynæo inspecto, a me observata sunt, hic subjungam.

CAP. I.

Textus Fabricii.

Textus Grynei.

CAP. I.

P. 238. *lin. 9.* Paternam legem nostram vult dissolvere.

Addit: Dicit Pilatus: quid est quod ait? et quæ vult dissolvere?

P. 240. *l. 8.* Benedictus qui venit.

Benedictus qui venis.

— — *l. 9.* Pueri quidem hebræorum.

Pueri quidem hebræorum.

— — *l. ult.* O domine salvum fac!

O Domine salvum me fac!

Subjicitur nota: Eiam hic in editis erat: O domine salvum me fac!

P. 241. *l. 9.* Et curvata sunt.

Curvata sunt.

— — *l. 10.* Hinc Judæi magis clamabant.

Magis clamabant.

— — *l. 2 a fine.* Et adoraverunt.

Et adoraverunt eum.

CAP. II.

P. 242. *l. 3.* De sede sua, posterius.

De sua sede.

P. 243. *l. 12.* Habet potestatem.

Potestatem habet.

P. 244. *l. 1.* De fornicatione.

Ex fornicatione; sed sci-
mus, quoniam desponsa-
ta erat mater ejus Maria
Joseph, et non est natus
ex fornicatione. Dicit
Pilatus ad Judæos, qui
dixerant, eum esse na-
tum de fornicatione.

P. 244.

*Textus Fabricii.**Textus Grynei.*

p. 244. l. 11. Et nunc facti
sunt Judæi.

Et non facti sunt Judæi.

*Additur nota: Male edi-
tum erat: et non facti
sunt Judæi.*

p. 245. l. 1. Isti duodecim.
*Fabr. nota: Isti duodecim
scripsi pro: isti duode-
cimo.*

Isti duodecimo.

— — l. 4. Qvod nos cre-
dimus.

Qvod non credimus.

*Fabr. in nota: Pro non
credimus scripsi nos cre-
dimus.*

CAP. III.

p. 245. l. 3. Qvia nec.

Qvi nec.

p. 246. l. 8. Principes sa-
cerdotum.

Princeps sacerdotum.

CAP. IV.

p. 247. l. 9. In triduo re-
dificare.

In triduo ædificare.

p. 248. l. 4. Si iste fermo.

Si ista verba.

— — l. 10. Blasphemavit.

Blasphemaverit.

CAP. V.

p. 249. l. 1. Et circumstan-
te populo.

Ex circumstante populo.

— — l. 6. Hic.

Huc.

CAP. VI.

p. 250. l. 4. Cum hæc au-
dierunt.

Cum hæc audirent.

CAP. VII.

*Textus Fabricii.**Textus Grynæi.*

CAP. VII.

P. 253. l. 7. Et implerunt.

Et impleverunt.

CAP. VIII.

P. 254. l. 5. Et dixit mihi
Jesús: vade, et sicut cre-
didisti, fiat tibi.Et dixit mihi Jesús: ego
veniam et curabo eum.
Et ego dixi: domine,
non sum dignus, ut in-
tres sub tectum meum,
sed tantum dic verbum,
et sanabitur puer meus.
Et dixi mihi Jesús: va-
de, et sicut credidisti,
fiat tibi.— — l. 13. Et alii quidam
multi.

Et alii quidem multi.

CAP. IX.

P. 255. l. 2. Duodecim vi-
ros.

Quindecim viros.

*Fabr. nota: Duodecim con-
jeci etsi hoc loco in edi-
tis erat quindecim.*

— — l. 3. Dixit ad eos.

Dicit ad eos.

P. 256. l. 5. Dicunt omnes.

Dicunt ei omnes.

— — l. 8. Filium Dei esse
et regem.

Filium Dei esse regem.

CAP. X.

P. 258. l. 7, 8. Dimas. Ge-
stas.

Dimam. Gestam.

P. 261. l. 4 a fine. Eclipsis
facta est.

Eclipsis factus est.

*Fabr. nota: Inepte editum
erat: Eclipsis factus.*

CAP. XI.

*Textus Fabricii.**Textus Grynai.*

CAP. XI.

p. 262. l. 10. Ligaverunt
illum.

Ligaverunt illud.

*Hic additur observatio Fabr.
Corpus nempe; ex qua,
si recte conjicio, efficitur,
Grynai editionem illum
latuisse; si enim legisset
illud, non opus habuisset,
hac observatione textum
illustrare.*

— l. 11. Et posuerunt
illum.

Et posuerunt illud.

CAP. XII.

p. 262. l. 3. Duodecim vi-
ros.

Quindecim viros.

*Fabr. ad h. l. Sic iterum
scripsi pro eo quod in
editis hic reperi quin-
decim.*

— l. 8. Ostendit se eis,
quando isti ingressi Syna-
gogam.Ostendit se eis. Quomodo
isti ingressi Synagogam?

*Fabr. ad h. l. In editis eius
sensu nullo: ostendit se
eis. Quomodo isti in-
gressi Synagogam.*

CAP. XIII.

p. 266. l. 18. Milites vero
accipientes sic dixerunt,
ut a Judæis moniti sunt.Milites vero accipientes sic
dixerunt, ut a Ju-
dæis mirati sunt.*Fabr.*

Textus Fabricii.

Textus Gryndi.

Fabr. ad h. l. In editis erat: sicut dixerunt, ut a Judæis mirati sunt; nullo sensu.

CAP. XIV.

p. 266. l. 7. Sedentem.

Et sedentem.

CAP. XV.

p. 269. l. 10. Forsitan spiritus rapuit illum in montibus Israel. Sed eligamus viros nobiscum et circumeuntes montes Israel, forsitan inveniemus eum.

Forsitan spiritus rapuit illum in montibus Israel; forsitan inveniemus eum.

— — l. ult. Possimus.

Possimus.

p. 270. l. 7. Consilium malignum.

Malignum consilium.

— — l. 9. Liberavit te.

Liberavit.

p. 271. l. 4 a fine. Rosque perfudit me.

Rosaque perfudit me.

Fabr. ad h. l. Ita scripsit pro eo quod editum erat: rosaque perfudit me.

CAP. XVI.

p. 273. l. 14. Vivit Dominus.

Vidit Dominus.

Fabr. monet: Ita scripsit pro: vidit.

— — l. 7. Sed quid dicimus.

Sed quid diximus.

— — l. ult. Ut corpus ejus.

Et corpus ejus.

CAP. XVII.

b

XVIII PROLEGOMENA:

Textus Fabricii.

Textus Grynei.

CAP. XVII.

p. 275. l. 14. In sepulchris eorum.

In sepulchris eorum.

p. 276. l. 2. Tomos Chartæ.
Fabr. ad h. l. Inepte editum erat: Tomos terræ.

Tomos terræ.

CAP. XVIII.

p. 276. l. 2. Deus, mortuorum resurrectio.

Deus mortuorum, resurrectio.

Fabr. nota: Vitiose interpunctus erat in editis hic locus, sic: Deus mortuorum, resurrectio.

— — l. 9. Solis color.

Solis calor.

Fabr. nota: Ita scripsi, est in editis reperi calor.

p. 278. l. ult. Sedentes in tenebris.

In tenebris.

CAP. XIX.

p. 278. l. 9. Ad portas Paradisi.

Ad portas Paradisi.

p. 279. l. 3. Dei filius.

Dei filius Christus.

— — l. 10. Ex aqua.

Et ex aqua.

CAP. XX.

p. 279. l. 3. Apparo suscipere.

Apparo suscipere.

— — l. 4. Qvi gloriatur.

Qvi gloriatus est.

p. 280. l. 12. Omnipotens est.

Omnipotens.

CAP. XXI.

p. 233. l. 11. Ros, qui est a domino.

Rex, qui est a domino.

Fabr.

*Textus Fabricii.**Textus Grynei.*

Fabr. ad h. l. Editum erat:
rex, qui est a domino.

p. 283. l. 5 a fine. Quoniam
vinctus eris.

p. 284. l. 1. Qvis est rex
gloriæ?

CAP. XXII.

p. 285. l. 11. Adstricti te-
nentur.

p. 286. l. 5. In tetrīs usi-
bus.

*Fabr. ad h. l. Alii inte-
gris, uel in terris usi-
bus.*

CAP. XXIII.

p. 286. l. 1. Suscipientes.

— — l. ult. Tanta spolia
nobis.

p. 287. l. 7. Insultant.

*Fabr. ad h. l. Insultant
scripsi pro insultabant.*

p. 287. l. 8. Et deprecationi-
bus.

CAP. XXIV.

p. 289. l. 7. Domine Deus
clamavi!

p. 290. l. 3 a fine. Hallelu-
jah!

CAP. XXV.

p. 291. l. 8. Collocati estis

— — l. 9. Unus ex eis.

Quoniam jam vinctus eris.

Qvis est iste rex gloriæ?

Adstricti detinentur.

In terris usibus.

Suscipientes.

Nobis tanta spolia.

Insultabant.

Deprecationibus.

Domine Deus meus clama-
vi!

Deest.

Collati estis.

Unus eis.

b 2

p. 291.

Textus Fabricii.

p. 291. l. 2 a fine. In adventum Christi.

CAP. XXVI.

p. 292. l. 15. Hoc porta.

CAP. XXVII.

p. 294. l. 13. Annæ et Cai-phæ.

Fabr. ad h. l. monet, se hæc ex versione Anglo-Saxonica correxisse.

p. 296. l. 17. Ad templum istud.

Fabr. hic adnotat, se ab editis recessisse, in quibus scriptum erat: Et templum.

p. 296. l. 6 a fine. Post passionem mortis, vivum se vidisse, et duos testes, quorum corpora Jesus a mortuis resuscitavit, vidimus.

Textus Grynæi.

In adventum Antichristi.

Hæc porta.

Rennæ et Cheyfa.

Et templum istud.

Post passionem mortis vivum se vidisse, et loquentem cum discipulis suis audivisse, et altitudinem coeli penetrantem vidisse, et duos testes, quorum corpora Jesus secum a mortuis resuscitavit, vidimus.

Quamquam ex allatis fati credam esse manifestum, textum Fabricii non ad Grynæi Monum. orth. expressum, sed ex alia quadam editione depromptum; hanc tamen meam assertionem aliis et indu-

bis.

biis quidem, ut opinor, argumentis ultro probare allaborabo. In notis ad pag. 299. Tom. I. Cod. Apocr. Fabricius varios auctores, qui Pseudo-Epistolam Pilati ad Tiberium promulgaverint enumerans, hæc addit: "Vicissim minime differt Epistola Pilati in Orthodoxographis vulgata, ab ea, quæ a Sixto edita est, ut affirmat scriptor cætera accuratissimus et cui velut doctori meo in his litteris plurimum debeo, p. 9, appendice de Hæresiarchis." Si Fabricius ipsa Monumenta Orthodox. ante oculos habuisset, ei non opus fuisset ad Ittigii testimonium (hic enim auctor est libri de Hæresiarchis) recurrere; quin etiam hac inspectione errorem Ittigii, qui hic non accurate observavit, facile detexisset. Epistola enim Pilati, prouti apud Grynæum reperitur, ab editione Sixti Senensis valde discrepat. Quod ut pateat, hanc Epistolam ex Grynæi Monumentis Tom. II. p. 2. hic adscribam:

"Pontius Pilatus Cl. Tiberio Neroni Imp. S.

"Nuper contigit, ejus rei ipse testis esse possum,
 "Judæos sese ipsos posterioresque suos universos per
 "invidiam crudeli damnatione perdidisse. Cum enim
 "ex oraculorum promissis, majorum ipsorum auctori-
 "tate receptis, hoc expectarant, ut deus illorum per
 "virginem juvenulam mitteret, qui jure rex eorum
 "diceretur, hunc me præsentem misit in Judæam. Is,
 "quod omnibus notum est, cæcis visum restituebat,
 "lepro-

"leprofos mundabat, resolutos nervis curabat. Vi-
 "derunt quoque ipsum dæmonia abegisse, atque ob-
 "sessos spiritibus immundis liberasse. Mortuos item
 "ex sepulcris ipsis resuscitavit, obediebant ipsi ven-
 "torum turbines, siccis pedibus ipsum mare inambu-
 "labat. Fecit alia quoque permulta miracula, ut
 "vulgo etiam inter Judæos et plebem Dei filius dice-
 "retur. Principes vero sacerdotum æmulatione et li-
 "vore instincti adversabantur illi, captumque mihi
 "illum tandem tradiderunt; ementitis sceleribus eum
 "reum facientes, magum appellabant, atque legis eo-
 "rum desertorem et contradictorem. Quibus persua-
 "sionibus seductus ipse, fidem querelis eorum adhibui
 "flagellatumque ipsis tradidi, ut pro arbitrio in eum
 "animadverterent. Crucifixerunt igitur illum et se-
 "pulcro; quo conditus erat, custodes adhibuerunt,
 "inter quos etiam ex militibus meis nonnulli erant,
 "qui tertio die ipsum a mortuis resurgentem vide-
 "runt. Nequitia autem Judæorum magis hoc facto
 "exarsit, numeraruntque magnam pecuniarum vim
 "ipsis militibus, quatenus discipulis ipsius noctu cor-
 "pus rapuisse prædicarent. Acceperunt hi quidem pe-
 "cunias, nihilominus tamen publice ubique professi
 "sunt atque testantur, se visiones angelorum vidisse, ac
 "Jesum illum a mortuis vere resurrexisse. Hæc autem
 "ideo scripsi, ne quis nugis ac mendaciis Judæorum, si
 "de re gesta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale!"

Qvis-

Quisquis hanc Grynæi recensioem Epistolæ Pilati cum Fabriciana, p. 154 sq. editionis nostræ exhibita, atque ibi ex Sixto Senensi adnotatis variis lectionibus, quas ex Fabricio Tom. III. p. 469 sq. exscripsimus, contulerit, observet necesse est, unam ab altera quamplurimum dissonare; quæ utriusque textus discrepantia nullo modo Fabricium fugere potuisset, si Grynæum ipse perlustrasset. His accedit, quod Fabricius Tom. I. p. 213. in notula ad inscriptionem Epistolæ, quæ a Pilato ad Claudium imperatorem transmissa perhibetur, indicat Claudii nomine hic venire Tiberium, qui, quod ex Claudia gente patricia ortum traxisset, interdum Claudius appellaretur. Hæc adnotare sane superfedisset vir eruditus, si inscriptio hujus Epistolæ utut apud Grynæum reperitur, in qua Tiberius expresse nominatur, ei innotuisset. — Minuta hæc fortassis dixeris; sed cum ad efficiendum, quod proposuimus, plurimum valeant, silentio prætermittere nolumus.

§. 4.

Indoles recensiois Fabricianæ examinatur.

Plurimum sane dolendum, Fabricium, cum libros apocryphos N. T. in unum corpus colligeret, in textum tam vitiosum Evangelii Nicodemi incidisse, atque puriores fontes eum omnino latuisse. Medicam manum sæpius adhibuit vir eruditus, atque

que in hoc laborum genere apprime versatus; sed quamquam ingeniose et feliciter conjectura in depravationibus emendandis usus est; quamplurima tamen intacta relinquere coactus fuit. Licet hæc nostra editio quavis pagina sat multa referat exempla, quibus misera hujus recensionis conditio abunde comprobatur; non supervacuum tamen existimamus, univérse de indole hujus textus differere, atque exemplis in medium prolatis demonstrare, quanto hic, ut codd. latinis Corsini et Einsidlensi, ita quoque græco Parisiensi et Vaticano, inferior censendus sit.

Primo hoc monendum, hanc recensionem ubique abundare augmentis, quæ in nominatis latinis et græcis desiderantur, atque sequioribus seculis inserta fuisse nemo negaverit. Sic Cap. VI afferuntur verba paralytici a Christo sanati: *expectans sanitatem, quæ fiebat in adventu angeli, qui turbabat aquam secundum tempus. Et qui prior descendisset in aquam; post commotionem aquæ, sanus fiebat ab omni infirmitate.* Hæc verba, ex Joh. V. 3, 4 desumpta, atque fide optimorum codd. tamquam dubia reputanda, non adsunt in græco Parisiensi neque in latinis Corsini et Einsidlensi. Porro Capp. VII et VIII afferuntur multa, in nominatis fontibus non obvia. Integram quoque Cap. XXVIII, assummentum sane recentioris ævi, illi non agnoscunt. Alia minora, quæ deinceps, cum de indole et proprietatibus

tibus

tibus Codd. Corfini et Einsidlensis differemus, fufius exponentur, hic non attingimus.

Sed ut in textu amplificando operam navavit librarius, ita fæpius peccavit omitendo, ubi ὁμοιογενεῶν obveniunt. Sic Cap. II. pag. 18. contextus omni privatur fenfu, omiffione commatum, quæ post verba: *nos non dicimus eum effe natum de fornicatione*, apud græcum et cæteros latinos reperies. Cap. XII. p. 70. lin. 4. post *præfentari Jofeph*, defiderantur hæc: *Et adportantes clavem; fignato autem oflio, non invenerunt Jofeph.* Et fic alibi.

Hæc autem levia reputanda funt, fi illa confideraveris vitia, quibus negligentiam non modo, fed et infcitiam luculenter prodidit. Cap. I. p. 14. legitur: *Adfpicientes autem feniores Judæorum viros duodecim fortiffimos potentesque fenos*, folemni errore, pro: *accipientes autem viros duodecim, fortiffimos, potentes, fenos et fenos.* Et porro eodem capite: *Quia fi non fic ferant figna*, pro: *quia fi flectantur figna.* Cap. II. p. 16. *Matrona ipfius Pilati procul pofita*, pro: *Matrona ipfius Pilati, nomine Procula.* Cap. XX. Princeps inferorum, de Lazaro, Chrifti virtute, potestate τοῦ αἰῶνος crepto, queftus, fic verba facit: *per omnem malignitatem et fcleritatem falvus exivit a nobis*, ubi rectius Codd. Corfini et Einsidl. ita: *Ut aquila per omnem agilitatem et celeritatem falvit exiens a nobis.* Et in Epilogo,

XXVI PROLEGOMENA.

logo, ubi invenies: *Consultatoriae revelationis pro:
in consulatu Rufini et Leonis.* Plura afferre super-
fedeo, cum hæc ad codicis indolem demonstrandam
sufficere opiner; atque infra, ubi de Codd. Corsini
et Einsidl. indole tractetur, hæc fusius exponentur.

§. 5.

*Descriptionem codicis Corsini ejusque indolem
exponit.*

Romæ, in bibliotheca Principis Corsini, sub
No. 1146, asservatur codex chartaceus, seculi, quan-
tum ex litterarum forma et vocum compendiis col-
ligitur, XIV, foliorum 210, quem vir doctissimus
Engelbreth, cum Romæ commoraretur, cum textu
Fabriciano accurate contulit, atque observata amice
mecum communicavit.

Hunc codicem, licet sequioribus seculis scrip-
tum, esse apographum codicis antiquioris melioris
notæ, ex ejus indole facile dignoscitur. Quantum
recensionem Fabricianæ anteferendus sit, quælibet pa-
gina nostræ editionis commonstrat; sed et Einsid-
lensi, cui alias abunde similis reperitur, præstantiorem
esse contenderim. De consensu cum græcis et Pari-
sensi et Pal. Vaticano, infra, cum ad descriptionem
horum Codd. venerimus, pluribus dicetur.

Quæ hunc nostrum a Fabricii textu discernunt,
ad sequentia referri possunt:

I. Versio

1. Versio Cod. Corsini est brevior. Sic, ut addita-
 menta Capp. VI. VII. VIII. XI. apud Fabricium
 obvia, et integrum Caput XXVIII. plane omit-
 tantur. Hæc brevitatis quoque cernitur in senten-
 tiis et periodis, ubi hic Fabriciana recensione
 pressior, græcis ut plurimum sese adjungit.

2. Textu Fabricii longe correctior, ita ut librarium
 non solum peritum, sed attentum quoque fuisse
 omnia evincunt; quin etiam hoc nomine Codici
 Einsidlensi anteposendum non dubitaverim. Quod
 nostrum judicium ut exemplis firmetur, nonnulla
 hic adponimus.

Cap. I. p. 14. *Incurvaverunt ex se signa Corsini,*
 ubi Fabricius et Einsidl. modo: *curvaverunt se signa.*

Cap. II. p. 18. *Dicunt quidam de his adstantibus*
ex Judæis benigne de Jesu. Corsini. Hic Fabricius
 et Einsidl. *Dicunt quidam de adstantibus benigne ex*
Judæis.

Cap. III. p. 26. *Intende veritatem descendisse in*
terram Corsi. ubi Fabr. *intende veritatem esse in ter-*
ra; et Einsidl. *intende veritatem dicentis in terra.*

Cap. VIII. p. 52. Codex Corsini missionem Chri-
 sti a Pilato ad Herodem, quæ in textu Fabricii et
 Einsidl. mire confunditur, recte proponit.

Cap. XI. p. 62. Cod. Corsini habet: *voluntati-*
bus, ubi Einsidl. male: *voluptatibus.*

Cap.

XXVIII PROLEGOMENA.

Cap. XII. p. 66. *Non bene egistis versus justum, et non recogitastis, quanta benevolentia erga vos operatus sit, sed eum crucifixistis et lacerastis eum* Cod. Corfini. *Non bene egistis adversus justum, et non recogitastis ne eum crucifigeretis, sed et lanceastis eum* Cod. Einsidl. *Ego bene egi circa istum, vos enim non bene egistis adversus justum, ut eum crucifigeretis, sed aceto potastis illum, et spinis eum coronastis, et flagellis lacerastis eum, et sanguinem ejus imprecati estis* Fabric.

Cap. XII. p. 70. Post verba textus Fabricii: *presentari Joseph*, adduntur in codice Corfini frequentia, ad sensum recte constituendum necessaria: *et adportantes clavem; signato autem ostio, non invenerunt Joseph.* Hæc desunt quoque in Cod. Einsidl.

Cap. XX. p. 116. *Lanceam exacui ad percussio- nem ejus.* Sic Cod. Corfini, ubi Fabricius: *Lanceam exacui ad passionem ejus.* Et Einsidl. *Lanceam exacui ad persecutionem ejus.*

Cap. XX. p. 120. *In crudelitate carceris* Cod. Corfini. Ubi Fabr. *sub incredulitate carceris*, et Einsidl. *in incredulitate carceris.*

Cap. XXIII. p. 132. *Qui a principio usque nunc fuerunt desperati salutem, nunc invenerunt vitam: nullus eorum hic jam solito mugitu auditur, nec ullus eorum personat gemitus* Cod. Corf. *Quia qui a prin-*
cipio

cipio usque nunc, fuerunt desperati salutem et vitam, modo nullus eorum huic (lege hic) jam solito mugitus auditur, nec ullus eorum personat gemitus Einsidl. Quod a principio usque nunc fuerunt desperati salute et vita: modo nullus eorum personat gemitus Fabr.

Cap. XXIII. p. 134. *O princeps Satan! possessor olim inferorum Cod. Corsini. O princeps Satan! possessor clavium inferorum Einsidl. O princeps Satan! possessio inferorum Fabr.* An lectio Codicis Corsini seu Einsidlensis hoc loco potior habenda sit, merito ambigitur. Equidem prætulero *olim*, ut in Codice Corsini legimus, atque lectionem Codicis Einsidlensis *clavium* exinde ortam autumo, quod in exemplari, ex quo librarius suum descripserit *απογραφον*, litteræ minus distinctæ reperirentur. Quis non viderit, *olim*, litteris detritis et dimidiatis, a librario festinanter inspicienti, facile accipi posse pro abbreviatura *clim* seu *clm*; quam lectionem, quod sensui non repugnaret, textui inseruit.

Cap. XXIV. pag. 136. Verba textus Fabricii: *Tunc statim omnes sancti Dei sub manu altissimi Dei adunati sunt. Tenens autem Dominus Jesus manum Adæ, dixit ad eum: pax tibi cum omnibus filiis tuis iustis meis! Adam vero genibus Domini Jesu Christi advolutus, lacrymabiliter deprecatus est eum obsecratione humili.* Desunt omnino in Codice Corsini.

§. 6.

Codex latinus Mss. monasterii Einsidlenfis describitur.

Notitia hujus codicis debetur cl. Hefs, qui in Bibliothek der heiligen Geschichte, Tom. I. p. 435-483. cum non modo descripsit, sed et accuratam cum Fabricii recensione comparationem instituit et protulit. Hic codex, qui in monasterio Einsidlenfi, Helvetiis, reconditus reperitur, in hac editione adhibitus, citatur Einsidlenfis denominatione. Indolem et habitum si spectes, textui Fabriciano longe anteponeendus, Codici Corsini apprime similis, græcis Parisiensi et Vaticano, ut plurimum sese adjungit. Augmenta textus Fabricii Capp. VI, VII, VIII, XI, quæ, ut antea monuimus, Codex Corsini respuit, in nostro, una cum integro Cap. XXVIII desiderantur. Cæterum librarium non æque sollemnem fuisse ac eum, cui Cod. Corsini debemus, exempla supra in descriptione hujus codicis allata, hic non inutiliter repetenda, satis superque demonstrant. Neque tamen negaverim, Codicem Einsidl. interdum Corsiniano præferendum, quod cum ad Codicem Parisiensem ventum erit, pluribus dicetur.

§. 7.

Codicis græci Parisiensis 770 descriptio.

Codex græcus, cujus textus, hucusque ineditus, hoc volumine exhibetur, antea Colbertinus 2493,
in

in catalogo typis expresso No. 770 signatus, nunc Parisiis in bibliotheca magna gentis franco-gallicae asservatur. Membranaceus est, in forma quarta, atque, quantum ex litterarum ductu et tota libri conditione judicare liceat, sequioribus seculis exaratus. Præter Evangelium Nicodemi, varia scripta apocrypha complectitur, inter alia *αναφοραν* Pilati, quam Fabricius Tom. III codicis apocr. inferuit p. 456 sq.

Apographum, quo in hac editione usi sumus, ex ipso codice excrispsit vir doctissimus Birgerus Thorlacius, atque nobis amice obtulit.

Nulla mihi est dubitatio hunc codicem esse eundem, de quo memorat Fabricius Tom. I Cod. Apocr. p. 237 et 239, ubi ad citata du Cange in Glossario mediæ et infimæ græcitatibus provocat. Hoc Glossarium evolventi et intentius examinanti contigit tria observare loca, ubi Cangius ad hunc librum Mss. respexerit, quæ hic adponere non inutile existimamus. Sub voce *κουρσωρ* p. 741, inter alia testimonia de hujus vocis significatione, affertur liber Mss. S. Johannis Theologi Commentarius Apocryphus de J. C. *προκαλεσαμενος δε ο Πιλατος τινας κουρσωρα*. Voce *πρεσποκων* p. 1225, 1226 Acta Pilati Apocrypha Mss. *ιδοντες δε οι ιουδαιοι ο εποικισεν ο κουρσωρ, κατετραξαν τω Πιλατω, λεγοντες: διατι (adde υπο) πρεσποκωνα αυτον ουκ εκαλεσας ελθειν, αλλ' υπο κουρσωρα;* Et p. 1259. voce *προτομη* ex S. Johanni

nis Th. Comm. apocrypho de J. C. afferuntur frequentia: *εισελθοντων σιγνοφορων, κατεχοντων τα σιγνα, εκαμφθησαν αι προτομαι των σιγνων, και εκυνησαν (lege προσεκυνησαν) τω Ιησου.* Et infra: *ου θαυμαζετε πως εκαμφθησαν αι προτομαι των σιγνων, και προσεκυνησαν τω Ιησου.* Hæc, cum iisdem plane verbis in codice nostro Parisiensi (vide pagg. 7, 9, 11, 13.) adfunt, ex eo quoque hausta esse non dubitaverim; nisi forte exinde, quod Cangius modo sub voce *πρεσποικων* Acta Pilati excitaverit, atque sub vocibus *κουρσωρ* et *προτομη* ad Commentarium Johannis de vita J. C. provocaverit, colligere velis, duo exemplaria ejusdem libri apocryphi, diverso titulo inscripta, ei ad manus fuisse; quod speciem aliquam veri induit, si observetur differentia lectionum *τον κουρσωρα* et *τινα κουρσωρα*; et quod vocula *αι αυται* in parisino obvia, apud Cangium desiderentur.

Codex hic negligenter admodum scriptus, quin immo ejusmodi mendis repletus cernitur, ut vix credere liceat, librarium græcæ lingvæ gnarum fuisse. Contra regulas grammaticas non raro peccat; vitia ex permutatione vocalium pronuntiatione similium, crebro occurrunt: sic, ut res exemplis pateat, scripsit *οψασθαι* pro *οψασθε*; *χαμε* pro *χαμαι*; *υμεις* pro *ημεις*; *κεσσαρος* pro *καισαρος*; *ιωδος* pro *ειωδωσ*; *περιλεπτος* loco *περιλυπος*; ut innumera alia trans-

trans-

transeam. Sed hæc minora censentur; si cum integris membris, seu periodis misere tractatis componantur, ita ut interdum Oedipo opus esset, sensum aptum indagare: ex quo genere unum modo exemplum proferam. Pag. 5 Ed. nostræ comma: ἤτις ἐστὶ ἢ καὶ πεμπτη μαρτυριῶν, a librario ita exprimitur: ἤτις ἐστὶν ἢ καὶ πεμπτη μαρτυριῶν. Ingenuè fateor, nisi hic subvenisset textus latinorum codicum, ad cuius fidem hæc in melius correxi, plane me latuisse, quid hic sibi voluisset auctor. In tanta librarii imperitia omissiones, ob ὁμοιοτελευτα, ut vocantur, aliquoties occurrere, nemo mirabitur. Nonnulla hujus generis vitia in notulis textui subjunctis indicavimus, ne omnia enumerando lectores tædio afficeremus: quædam, iterata textus-recognitione observata, deinceps afferuntur.

In prooemio Evangelii, Ananias quidam, προτεκτορ *), se hunc librum, regnante Theodosio imperatore, ex hebraica lingua in græcum sermonem convertisse narrat. Quisquis ille Ananias fuerit, non magni interest inquirere: hoc modo monere non alienum duco, dictionem græcam libri, quæ ab antiqua attica puritate et elegantia plurimum absonat, Theodosii ævo apprime congruere.

Recte

*) De hac dignitate, seu officio, vide du Cangii observata in Glossario mediæ et infimæ latinitatis, sub voce.

XXXIV PROLEGOMENA.

Recte enim, ut mea quidem fert opinio, du Cange in præfatione ad Glossarium med. et infimæ græcitat-
tis, pag. v, græcam linguam, ex quo tempore im-
perii Romani sedem Byzantii fixit Constantinus M.
a pristina puritate descivisse, atque indies magis de-
pravatam fuisse, contendit.

Quod ad versionis indolem attinet, non diffi-
cile est observatu, eam singularem quamdam *ειδος*
Evangelii Nic., ut latinorum Codd. Corfini et Einsidl.
ita quoque Fabriciana recensione antiquiorem exhi-
bere. Quibus a latinis discrepat, ad sequentia re-
ferri possunt:

1. Finitur Capite XVIII.
2. Instructus est proœmio copiosiore.
3. Textum sequitur pressiore atque in multis pro-
batiorem.

In numerum lectionum peculiarium, ubi latinis
versionibus antistare videtur græcus, veniunt sequen-
tes, ex pluribus selectæ.

Cap. I. p. 7. lin. 12. Pilati ad Judæos, Chri-
stum accusantes, adlocutio ita habetur: *τουτο ουκ
εστι εν πνευματι ακαθαρτω, αλλ εν θεω Ασκληπιω.*
Auctor libri acute satis observat, Pilatum ut homi-
nem ethnicum, cum Christi sanationes mirabiles vir-
tute divina patratas fuisse affirmet, has ope Æscula-
pii effectas censere. Latini omnes nomen Æsculapii
non referunt.

Eadem

Eadem pagina, lin. 16. græcus ita: ὁ Πιλατος λέγει αυτοῖς· εἰπατε μοι, ὅτι πῶς δυναμαὶ ἐγὼ ἡγεμῶν ὢν, βασιλεὺς ἐξετασάι; Non male auctor libri hanc ironiam Pilato tribuit, utpote cum iis, quæ Evangelistæ in historia passionis J. C. de hoc iudice referunt, optime consonam. In latinis hæc Pilati verba desunt.

Cap. III. p. 23. lin. 2. Μαρτυρεῖ εἰς τὸν ἥλιον. Formula jurandi per solem, usitatior illa, quæ terram testem provocant, licet hanc quoque interdum antiquis usu venisse monstret Fabricius Cod. Apocr. Tom. III. p. 469. Latini, Fabriciana et Corsini, vitio graphico legunt: *solum*. Lectionem ἥλιον testimonio versionis franco-gallicæ comprobari observat cl. Brunn in Disq. de Ev. Nic. p. 25.

Cap. III. p. 26. Post verba: τί ἐστὶν ἀληθεία; in latinis plura adduntur, quæ Christus ad hanc Pilati quæstionem respondit. Recte hæc in græco desunt, nam ex Evangelistis constat, Pilatum, quæstionem prolata, subito prætorio exivisse.

Cap. IX. p. 49. lin. 1, 2. Verba Pilati sic referuntur: ὡς ἀκούω, ὁ θεὸς ὑμῶν κ. τ. λ. Græcus hic recte personam servat pagani, qui, quæ de beneficiis populo Israelitico a Deo collatis profert, auditione modo acceperat. In latinis verba: ὡς ἀκούω, non inveniuntur.

Cap. IX. p. 53. lin. 10. Το εθνος το σου κατ-
 επεξαν σε ως βασιλευα, και δια τουτο αφυαμην;
 πρωτον φραγγελουσθαι δια των δεσμων των ασεβων
 βασιλευων. Ex his, si quid recte video, optime cor-
 riguntur latini, qvi varie haec exprimunt, sed ita,
 ut sensum aptum ex verbis illorum elicere neqveas.
 Apud Fabricium ita: *Genus tuum comprobavit te ut
 regem, propter quod ego Herodes praecipio flagella-
 ri te secundum statuta priorum principum.* In co-
 dice Corfini sequenti modo: *Genus tuum atque gens
 tua reprobavit te regem, propterea praecipio pri-
 mum te flagellari secundum statuta principum.* Apud
 Einsidl. sic: *Gens tua reprobavit te ut regem, prop-
 terea praecipio te primum flagellari secundum statuta
 priorum principum.* Equidem non dubitaverim,
 lectionem Fabricii et Einsidl. *priorum principum,*
 esse sphalma graphicum, pro *impiorum principum,*
 atque auctorem nostrum statuere, flagellationem Chri-
 sti a Pilato ideo jussam, quod solitum Romanis fuerit,
 hoc supplicii genere reges seditiosos punire. Utrum
 hoc moribus Romanorum respondeat an minus, alii
 me doctiores decernant.

Cap. IX. p. 56. lin. 6 sq. Verba: *accipiens au-
 tem Longinus miles lanceam, aperuit latus ejus et
 continuo exiit sanguis et aqua,* in latinis versioni-
 bus obvia, in graeco desunt.

His propositis ad exempla pergamus, quibus efficitur, Græcum nostrum cum codd. Corf. et Einsidl. leni sæpe congruere.

Cap. I. p. 15. lin. 12. ὅτι εὖν καμφθῶσι τὰ σιγνὰ. *Quia si flectantur signa* Corf. et Einsidl. *Quia si non sic ferant signa* Fabr.

Cap. IV. p. 29. lin. 11. κατὰ καισαρος εὖν τις βλασφημία. *Si quis Cæsarem blasphemavit* Corf. *Super Cæsarem, si quis blasphemaverit* Einsidl. *Per salutem cæsaris, si quis blasphemaverit* Fabr.

Cap. VI. p. 37. 38. Verba textus Fabriciani: *expectans sanitatem, quæ fiebat in adventu angeli, qui turbabat aquam secundum tempus. Et qui prior descendisset in aquam, post commotionem aquæ, sanus fiebat ab omni infirmitate*, in Græco non adfunt, neque in Corf. et Einsidl. reperiuntur.

Cap. VII. Additamentum textus Fabricii: *Et quidam Judæus post alia dixit: vidi Jesum vocari ad nuptias . . . usque ad finem capituli. Sic et initium capituli VIII. a verbis: post hæc quidam nomine centurio dixit . . . usque ad: et sanatus est filius meus ex illa hora: non habet Græcus, assentientibus Corf. et Einsidl.*

Cap. IX. p. 47. αὐτοὶ ὀψονταί. *Ipsi videant* Corf. et Einsidl. *Ipsi videant, qui seditionem commovent* Fabric.

Cap. IX.

XXXVIII PROLEGOMENA.

Cap. IX. p. 49. lin. 6. και νομον εδωκεν υμιν. *Et legem dedit nobis Corf. et Einsidl. Et legem de coelo vobis dedit Fabric.*

